



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulum IV. Ad audientiam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

Ad audientiam.

PARAPHRASIS.

Intellexerat Honorius III. quosdam monachos lege Diocesana Episcopi subditos, in Prioratibus habitare solitarios, contra decretum Generalis Concilij sub Alex. III. Ea propter mandat Archiepiscopo Burdegalensi, ut eorum Abbates vel Priores, prævia monitione per Ecclesiasticam censuram compellat, ut vel monachis ad claustrum revocatis, ijs Ecclesijs per seculares ministros deserviri curent; vel si inibi manere velint, monachos eisdem associet, cum quibus vitam regularem ducere possint.

SUMMARIUM.

*Episcopus cogere potest Prælatum Regularem, ut per secularem Clericum regatur Prioratus, si non sufficiant redditus Prioratus talis pro socio regulari.*

**N**otandum unicum. Episcopus cogere potest Prælatum regularem, ut Prioratum, cujus facultates non sufficiunt plurium monachorum ibi habitantium sustentatione, patiatur regi per secularem Clericum; eò quòd monachi juxta Lateran. Conc. habitare non debeant in parochijs, vel Prioratibus, nisi sociati cum alijs fratribus, ita, ut vitam simul regularem ducant; & ita non unus tantùm, sed plures socij requiruntur, juxta *c. 2. de statu monach & c. precedens secundum integram lectionem*, eodè modo DD. aliquos intellexisse testatur *Hosienfis hic*, quibus contradicit *And.* fateor tamen proximè præcedentibus sæculis non fuisse observatum, atque hodierno jure, si Ordo permittat, ut monachus extra monasterium degens Prioratum, vel parochiam monasterio unitam administret, satis esse ipsi unum socium ad jungere, prout non obitante *Pi.* constitutione Greg. XIII.

vivâ voce declarâsse dicitur, apud *Quarant.* in *Bullarij summa v. Vicarius fol. 631.*

CAPITULVM VLTIMVM.

eodem titulo in Sexto.

Presbytero.

PARAPHRASIS.

Cùm presbyteri, qui à monachis in eodem Ecclesijs Episcopo ad curam animarum præsentantur, & ab eo instituantur, debeant esse perpetui, non possunt per alium, nisi per Episcopum, & quidem ea causa rationabili amoveri, non obitante quovis statuto, aut consuetudine.

SUMMARIUM.

1. *Curati in Ecclesijs parochialibus perpetui debent esse perpetui.*
2. *In parochijs monasterio unitis, presentatio spectat ad monasterium; approbatio, & institutio ad Episcopum.*
3. *Uti & destitutio talium inferiorum.*

**N**otandum primum. Qui in Ecclesijs parochialibus ponuntur curati, debent esse perpetui, & intitulati, spectato communi jure. Ita notavit *Gloss. hic c. perpetui*, & colligitur ex *c. 2. disp. 7.* Dicitur autem hic perpetuum, quod durat ad hominis vitam, juxta *L. 1. ff. pro socio.*

Notandum secundum. Si in parochijs, quæ monasterio pleno jure, id est, quoad temporalia, & spiritualia unitæ sunt, instituendus sit Vicarius sæcularis, presentatio spectat ad monasterium; examinatio autem personæ, approbatio, & institutio, consequenter & depositio ad Episcopum. Ratio est, quia parochia ratione curæ plebis manet sæcularis, & Episcopo subdita; neque enim potest Episcopus curam & jurisdictionem spiritualem erga Ecclesias & plebes deprecate, argum. *L. penult. ff. de officio presbiteri.*